



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

Prooemium

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

## PROOEMIUM.

**D**E pace perpetua Protestantibus danda  
 consulturis, non amplius necessum est  
 multis describere illius Pacis naturam  
 & conditiones, postquam ipsi Protestan-  
 tes animum suum aperte satis ore & calamo pro-  
 diderunt, & desiderata ipsis Pax jam tum à S. C.  
 M. Illustriss. Legatis magnam partem sit pro-  
 missa. Facile certe hæc peti potest, saltem ex pro-  
 jecto Pacis antedictorum Legatorum. Cæterum  
 questio ardua est, num talis perpetua Pax Pro-  
 testantibus, hoc est, hæreticis, à S. C. M. & reliquis  
 Catholicis Imperii Rom. Ordinibus salva consci-  
 entia possit concedi. Videas enim in partes hic  
 abire Catholicorum maxima auctoritatis Statu-  
 um sententias: nec desunt gravissimi Theologi,  
 qui editis scriptis illicitam ejusmodi pacem pro-  
 nunciare non dubitaverunt. Nos citra cujusquam  
 hominis præjudicium, servantes integram omni-  
 um auctoritatem & dignitatem, consultabimus i-  
 tidem in publico hac de re. Quod ut faciamus,  
 impellimur communi totius Germaniæ, cum pri-  
 mis autem Ecclesiæ Catholice, salute, quæ in hujus  
 pacis cardine, nisi fallimur, unice versatur. A-  
 gemus autem breviter, & non oratorio sed scho-  
 lastico



DE PACE PERPETVA

lastico simplici modo, ne cui videamur fucum orationis illecebris facturi. Simplex scilicet veritas est, neque indiget mangonio. A nobis vero procul abest, ut quem fallamus in tanti momenti negotio, unde salus animæ corporis & fortune bonorum dependet. Primum ergo hypotheses quasdam præmittemus: inde sententiam nostram argumentis muniemus: respondebimus denique ad objecta aliorum.

SECTIO